

1a. Aeneas

Ōlim in Asiā erat urbs antīqua, quae Troia appellāta est. Eam 1
urbem Graecī decem annōs obsēdērunt tandemque cēpērunt.
Priamō rēge fīliīsque interfectīs, urbem dēlēvērunt. Sed Aenēās,
quī inter clārissimōs dēfensōrēs urbis fuerat, cum paucīs comitibus
ex urbe effūgit; cum profugōs ex omnibus partibus coēgisset, in 5
Ītaliām migrāre constituit.

Post septem annōs vēnit in eam partem Italiae ubi erat urbs
Laurentum. Ibi cum Troiānī praedam ex agrīs agerent, Latīnus rēx
Aborīginēsque, quī ea loca tenēbant, agrōs dēfendere parāvērunt.
Sed Latīnus, postquam in colloquiō orīginem multitudinis ducisque 10

1b. Aeneas

cognōvit, pācem cum Aenēā fēcit atque posteā eī Lāvīniam fīliam in mātrīmōnium dedit. Troiānī urbem condidērunt, quam Aenēās ab nōmine uxōris Lāvīnum appellāvit. Deinde Turnus, rēx Rutulōrum, cui Lāvīnia ante adventum Aenēae dēspōnsa erat, bellō Latīnum Troiānōsque aggressus est.

15

Victī sunt Rutulī, sed victōrēs ducem Latīnum āmīsērunt. Inde Turnus auxilium petiit ab Etrūscīs, quī tōtam Italiam fāmā nōminis suī implēverant; illī metuentēs novam urbem multitudine et opibus crescentem laetī auxilium tulērunt. Aenēās in tantō discrīmine, ut Aborīginēs Troiānōsque sub eōdem iūre atque nōmine habēret, 20

1c. Aeneas

Latīnōs utramque gentem appellāvit. Cum adversus Etrūscōs sē moenibus dēfendere posset, tamen in aciem copiās ēdūxit. Etrūscī victī sunt; victōrēs tamen ducem ut anteā āmīsērunt; post pugnam enim Aenēam reperīre nōn potuērunt; multī igitur eum ad deōs trānsīsse crēdidērunt.

25

2. The Founding of Alba Longa

Lāvīnia inde rēgnāvit, quoad Ascānius, Aenēae fīlius, adolēvit. 1
Tum ille propter abundantem Lāvīniī multitūdinem mātrī urbem
relīquit; ipse novam aliam urbem sub Albānō monte condidit, quae
Alba Longa appellāta est. Multī rēgēs post Ascāniū imperium
Albānum gessērunt. Quīdam ex hīs, cui nōmen Proca erat, duōs 5
filiōs, Numitōrem atque Amūlium, habuit. Numitōrī, quī māior erat,
rēgnum relīquit. Pulsō tamen fratre, Amūlius rēgnāvit. Fīlium fratris
necāvit; filiam Rhēam Silviam per speciem honōris sacerdōtem
Vestae lēgit.

9

3a. Romulus and Remus

Ex hāc fīliā nātī sunt duo filiī, Rōmulus et Remus. Pater eōrum, 1
ut fāma est, Mars deus erat. Sed nec deī nec hominēs matrem et
puerōs ā crudelitāte regiā defendērunt. Sacerdōs in custōdiam data
est; puerōs rex in Tiberim inīcī iussit. Forte Tiberis abundāverat,
neque eī quī puerōs ferēbant adīre ad altam aquam poterant. Itaque 5
puerōs in alveō posuērunt atque in tenuī aquā reliquērunt.

Sed alveus in siccō sēdit. Deinde lupa sitiēns, sīc enim est
trāditum, ex montibus quī circā sunt ad puerōrum vāgītum cursum
flexit. Faustulus, pāstor rēgius, eam invēnit puerōs nūtrientem. Ab
eō atque Lārentiā uxōre puerī ēducātī sunt. Cum prīmum 10

3b. Romulus and Remus

adolēvērunt, venārī coepērunt et in latrōnēs praedā onustōs impetūs
facere pāstōribusque praedam dīvidere .

Dum quoddam lūdicrum celebrātūr, latrōnēs īrātī ob praedam
āmissam impetum in Rōmulum et Remum fēcērunt; captum
Remum rēgī Amūliō trādidērunt. Puerōs praedam ex agrīs 15
Numitōris ēgisse incūsābant. Sīc ad supplicium Numitōrī Remus
dēditur.

Ab initiō Faustulus crēdiderat puerōs iussū rēgis expositōs apud
sē ēducārī. Tum perīculō Remī mōtus rem Rōmulō aperit. Forte
Numitor quoque audīverat frātrēs geminōs esse; tum comparāns et 20

3c. Romulus and Remus

aetātem eōrum et nōbilem animum Remī nepōtem agnōvit.
Rōmulus cum manū pāstōrum in rēgem Amūlium impetum facit;
Remus, aliā parātā manū, adiuvat. Ita rēx interfectus est. Imperium
Albānum Numitōrī avō ab iuvenibus restitūtum est. Deinde
Rōmulus et Remus in eīs locīs ubi expositī ubique ēducātī erant 25
urbem condere constituērunt.

4a. The Founding of Rome

Uterque iuvenis nōmen novae urbī dare eamque regere 1
cūpiēbat. Sed quod geminī erant nec rēs aetāte dēcernī poterat,
auguriīs ūsī sunt. Ā Remō prius vīsī sunt sex vulturēs. Rōmulō
posteā duodecim sēsē ostendērunt. Uterque ab amīcīs rēx
appellātus est atque rēgnum postulābat. Cum īrātī arma rapuissent, 5
in pugnā Remus cecidit.

Ex aliā fāmā Remus illūdēns frātrem novōs mūrōs urbīs
trānsiluit, inde interfectus est ab īrātō Rōmulō, quī haec verba
quoque addidit: “Sīc deinde pereat quīcumque aliis trānsiliet
moenia mea.” Ita sōlus potītus est imperiō Rōmulus; conditam 10

4b. The Founding of Rome

urbem ā suō nōmine Rōmam appellāvit.

Palātium prīmum, in quō ipse erat ēducātus, mūnīvit. Vocātā ad concilium multitūdine, iūra dedit. Īnsignia quoque imperiī, sellam curūlem togamque praetextam, duodecim līctōrēs sūmpsit. Asylum aperuit in monte Capitōlinō, quō multī ex finitimīs populīs 15 profūgērunt. Creāvit etiam centum senātōrēs, quī honōris causā patrēs appellātī sunt.

5a. The Sabine Women

Iam rēs Rōmāna firma et finitimīs cīvitātibus bellō pār erat. Sed 1
Rōmānī neque uxōrēs neque cum finitimīs iūs cōnūbiī habēbant.
Tum Romulus quōsdam ex patribus lēgātōs in vīcīnās gentēs mīsit
quī societātem cōnūbiumque novō populō peterent. Nusquam 5
benignē lēgātī audītī sunt; nam fīnitimī nōn sōlum Rōmānōs
spērnēbant, sed etiam tantam in mediō crescentem urbem
metuēbant. Itaque īrātī Rōmānī vī ūtī statuērunt.

Ad eam rem Rōmulus, lūdīs parātīs, fīnitimōs ad spectāculum
invītāvit. Multī convēnērunt ut lūdōs spectārent et novam urbem
vidērent. Sabīnōrum omnis multitudō cum līberīs ac coniugibus 10

5b. The Sabine Women

vēnit. Ubi spectāculī tempus vēnit omnēsque intentī in lūdōs erant, tum, signō datō, Rōmānī rapere virginēs coepērunt. Parentēs virginum profūgērunt clāmantēs Rōmānōs hospitium violāvisse. Nec raptae virginēs aut spem dē sē meliōrem aut indignātiōnem minōrem habēbant. Sed ipse Rōmulus circumībat ostendēbatque id 15 patrum virginum superbiā factum esse. “Quamquam vī captae estis,” inquit, “omnia iūra Rōmānōrum habēbitis.”

Iam multō minus perturbātī animī raptārum erant. At parentēs eārum cīvitātēs fīnitimās, ad quās eius iniūriae pars pertinēbat, ad arma concitābant. Hae cīvitātēs omnēs ā Rōmulō victae sunt. 20

5c. The Sabine Women

Novissimum bellum ab Sabīnīs ortum est, quod multō maximum fuit. Sabīnī arcem Rōmānam in monte Capitōlīnō dolō cēpērunt. Rōmānī posterō diē arcem recipere cōnātī sunt. Ubi Hostius Hostīlius, dux exercitūs Rōmānī, cecidit, cōfestim aciēs Rōmāna pulsa est. At Rōmulus templum vōvit Iovī Statōrī īrāvitque 25 auxilium. Tum crēdēns precēs suās audītās esse “hinc,” inquit, “Rōmānī, Juppiter optimus maximus nōs resistere ac renovāre pugnam iubet.” Resistērunt Rōmānī tamquam caelestī vōce iussī.

Tum Sabīnæ mulierēs ausae sunt sē inter tēla volantia inferre, ut pācem ā patribus virīsque implōrārent. Ducēs eā rē mōtī nōn 30

5d. The Sabine women

modo pācem sed etiam cīvitātem ūnam ex duābus faciunt; rēgnum quoque cōsociant atque Rōmam faciunt sēdem imperiī. Multitūdō ita aucta novō nōmine Quirītēs appellāta est ex Curibus, quae urbs caput Sabīnōrum erat.

Deinde Rōmulus, populō in cūriās trīgintā dīvīsō, nōmina 35 mulierum raptārum cūriīs dedit. Post aliquot annōs Tatius ab Laurentibus interfectus est. Rōmulus posteā sōlus rēgnāvit. Annīs sequentibus bella secunda cum Fidēnātibus Veientibusque, populīs Etrūscīs, gesta sunt.

Dum Rōmulus quōdam tempore exercitum in Campō Mārtiō 40

5e. The Sabine women

recēnset, tempestās subitō coōrta eum nimbō operuit. Patrēs quī proximī steterant dīxērunt rēgem sublīmem raptum esse. Deinde ūniversī clāmant: “Salvē, deus deō nāte.” Rōmulus dīcitur posteā cuidam cīvī sē ostendisse et eum hīs verbīs allocūtus esse: “Nuntiā Rōmānīs deōs velle meam Rōmam caput orbis terrārum esse; 45 proinde rēs mīlitāris colenda est; nam nūllae opēs hūmānae armīs Rōmānīs resistere possunt.” Posteā nōmen Quirīnus Rōmulō additum est. Rēgnāvit septem et trīgintā annōs.

48

6a. Numa Pompilius

Certāmen inde dē rēgnō inter factiōnēs ortum est. Sabīnī rēgem 1
suae factiōnis creārī cupiēbant. Rōmānī veterēs peregrīnum rēgem
recūsābant. Interrēgnō secūtō, senātus imperium gessit. Deinde
plēbs clāmāre coepit multōs dominōs prō ūnō factōs esse.
Optimum igitur vīsum est sine morā rēgem creāre. 5

Habitābat eō tempore Curibus Numa Pompilius, vir iūstissimus
perītusque omnis dīvīnī atque hūmānī iūris. Rēgnum eī omnium
cōnsēnsū dēlātum est. Is urbem novam quae ā Rōmulō armīs
condita erat, iūre lēgibusque firmāvit. Arcum portīs īstructum
fēcit, quī arcus Iānī appellātus est; apertus bellī index erat, clausus 10

6b. Numa Pompilius

pācis. Per omne rēgnum Numae clausus fuit. Pāx cum cīvitātibus
fīnitimīs societāte ac foederibus facta est.

Rēx inde ad mōrēs populī cultumque deōrum animum convertit.
Ut populī fīdem conciliāret, simulāvit sē cum deā Ēgeriā
congressūs habēre et monitū eius sacra īstituere sacerdōtēsque 15
legere. Annum ad cursum lūnae in duodecim mensēs discrīpsit.
Quōsdam diēs nefāstōs fēcit, per quōs diēs comitia nōn
habēbantur. Virginēs Vestālēs lēgit, quās caerimōniīs quibusdam
sanctās fēcit.

Multa etiam alia ā rēge īstitūta sunt, rītūs, caerimōniae, 20

6c. Numa Pompilius

sacerdōtia. Multitūdō, hīs rēbus ā vī et armīs conversa, rēgis mōrēs imitābātur. Fīnitimī populī cīvitātem Rōmānam tōtam, in cultum deōrum versam, violāre nōlēbant. Ita duo deinceps rēgēs, Rōmulus bellō, Numa pāce, cīvitātem auxērunt. Numa annōs trēs et quadrāgintā rēgnāvit.

25

7a. Tullus Hostilius

Numā mortuō, Tullus Hostīlius rēx creātus est. Hic ferōcior 1
etiam quam Rōmulus fuit. Bellum cum Albānīs prīmum ortum est.
Albanī et Rōmānī certāmen dē imperiō proeliō paucōrum virōrum
dēcernere cupīvērunt.

Forte in utrōque exercitū erant trigeminī frātrēs, nec aetāte nec 5
vīribus dispārēs, Horātiī et Cūriātiī. Hī Albanī erant, illī Rōmānī.
Trigeminī ad hunc pugnam dēlēctī arma capiunt et in medium inter
duās aciēs prōcēdunt. Duo exercitūs, ērectī ānxiiīque, in
spectāculum animōs intendunt. signō datō, ternī iuvenēs
concurrunt. 10

7b. Tullus Hostilius

Prīmō congressū duo Rōmānī interfectī sunt et trēs Albānī vulneratī. Eum quī integer fuit trēs Cūriātī circumsistere cōnātī sunt. Cum iam Rōmānus paulum fūgisset, respexit atque vīdit trēs Cūriātōs magnīs intervallīs sequentēs. Subitō constitit et in proximum Cūriātūm impetum facit; dum exercitus Cūriātīōs 15 obsecrant ut frātrī auxilium ferant, Horātius eum interfēcit.

Tum magnō clāmōre Rōmānī adiuvant mīlitēm suūm, et ille cōnficere proelium properat. Priusquam cōnsecūtus est tertius, Horātius alterum Cūriātūm cōnficit. Iamque singulī supererant, sed nec spē nec vīribus parēs; Alter integer et ferōx superiōribus 20

7c. Tullus Hostilius

victoriīs erat; alter dēfessus vulnere, animō fractus, in certāmen
vēnit. Nec illud proelium fuit. Cūriātium vix sustinentem arma
Horātius caedit et iacentem spoliat.

23

8a. Ancus Marcius

Ancus Mārcius, nepōs Numae Pompiliī, quārtus rēx creātus est. 1
Ut Numa in pāce religiōnēs īstituerat, sīc Ancus caerimōniās
īstituit, quibus bella posteā indicta sunt. Sacerdōtēs, quibus id
negōtium mandātum est, fētiālēs appellāvit.

Bellīs cum urbibus Latīnōrum gestīs, cīvēs Rōmam trādūxit. 5
Iāniculum, quī collis trāns Tiberim est, cum urbe Ponte Subliciō
coniūnxit. Carcer, quī etiam nunc exstat, sub monte Capitōlīnō
aedificātus est. Imperium usque ad mare prōlātum est, et in ōre
Tiberis Ōstia urbs condita est.

Ancō rēgnante, vir quīdam, nōmine Lucumō, habitābat 10

8b. Ancus Marcius

Tarquiniīs, quae urbs Etrūsca erat. Pater eius erat Dēmarātus, profugus Corinthius. Lucumō in mātrimōnium Tanaquīlem, mulierem nōbilem, dūxerat. Etrūscī spērnbant Lucumōnem, exulis fīlium. Tanaquil, quae ferre indignitātem nōn poterat, cōnsilium migrandī Rōmam cēpit. Facile coniugī persuādet. 15

Dum iter faciunt, aquila dīcitur pilleum ab capite Lucumōnis abstulisse et rursus reposuisse. Laeta Tanaquil accēpit id augurium potentiae futūrae. Etrūscī enim caelestium prōdigiorum perītī erant. Postquam Rōmam vēnērunt, Lucumō nōmen L. Tarquinium Prīscum sibi sūmpsit. Ibi paulātim īsignis factus est dīvitiīs 20

8c. Ancus Marcius

aliiisque rēbus. Postrēmō in amīcitiam rēgis receptus tūtor līberōrum rēgis testāmentō īstitūtus est. Ancus annōs quattuor et vīgintī rēgnāvit.

23

9a. Tarquinius Priscus

Iam fīlīī Ancī prope adultī erant. Sed Tarquinius ipse rēx creārī 1
cūpiēbat. Is pīmus palam rēgnū petiit, memorāns officia pīvāta
ac pūblica et benignitātem in omnēs. Magnō cōnsēnsū populus
Rōmānus eum rēgnāre iussit.

Tarquinius, Latīnīs bellō victīs, lūdōs magnificōs fēcit. Tum 5
pīmum locus circō, quī Maximus dīcitur, dēsignātus est. Lūdī
sollemnēs mānsērunt, Rōmānī aut Magnī appellātī. Magna quoque
opera ā rēge incepta sunt, ut populus nōn quiētior in pāce quam in
bellō esset. Mūrō lapideō urbem cingere parāvit, et loca circā
forum aliāsque convallēs cloācīs siccāvit. Fundāmenta aedis Iovis 10
in Capitōliō iēcit.

9b. Tarquinius Priscus

Eō ferē tempore in rēgiā prōdigium mīrabile fuit. Caput puerī 12
dormientis, cui Servius Tullius fuit nōmen, multōrum in cōspectū
ārsit. Servī, quī aquam ad restinguendam flammam ferēbant, ab
rēgīnā retentī sunt. Mox cum puer ē somnō excitātus esset, flamma 15
abiit. Tum, abductō in sēcrētum virō, Tanaquil, “Videsne tū hunc
puerum,” inquit, “quem tam humilī cultū ēducāmus? Lūmen
profectō portendit eum aliquando nōbīs praesidiō futūrum esse.
Proinde artibus līberālibus ērudiendus est.” Ingenium iuvenis vērē
rēgium erat. Tarquinius igitur eī filiam suam dēspondit. 20

9c. Tarquinius Priscus

Etsī Ancī frīlīī duo anteā īrātī fuerant, quod peregrīnus Rōmae
rēgnābat, tum maior erat indignātiō, quoniam servō iam rēgnum
patēre vidēbātur. Rēgem igitur interficere rēgnumque occupāre
constituērunt. Ex pāstōribus duo ferōcissimī ad facinus dēlēctī in
vestibulō rēgiae speciē rixae in sē omnēs appāritōrēs rēgiōs 25
convertērunt. Inde vocātī ad rēgem dīcere in vicem iussī sunt. ūnus
rem expōnit. Dum intentus in eum sē rēx tōtus āvertit, alter ēlātam
secūrim in caput rēgis dēiēcit; relictō in vulnere tēlō, ambō forās
fugiunt. Tarquinium moribundum appāritōrēs excipiunt; illōs
fugientēs līctōrēs comprehendunt.

30

9d. Tarquinius Priscus

Magnus sequitur populī tumultus, inter quem Tanaquil claudī rēgiam iubet. Serviō inde celeriter ad sē vocātō, auxilium ḍrāvit. “Tuum est rēgnūm,” inquit, “Servī, sī vir es, nōn eōrum quī aliēnīs manibus pessimum facinus fēcērunt. Ērige tē deōsque ducēs sequere, quī dīvīnā flammā hoc caput clārum futūrum esse 35 portendērunt. Nōlī perturbārī quod peregrīnus es. Etiam nōs peregrīnī rēgnāvimus. Sī propter subitam rem cōnsilia fingere nōn potes, mea tamen cōnsilia sequere.”

Cum iam clāmor multitūdinis vix sustinērī posset, Tanaquil ex superiōre parte rēgliae populum ita allocūta est: “Cum vulnus rēgis 40

9e. Tarquinius Priscus

grave sit, iam tamen ad sē redit; brevī tempore rēgem ipsum
vidēbitis. Interim vult Servium Tullium rem pūblicam
administrāre.” Itaque Servius per aliquot diēs, cum Tarquinius iam
mortuus esset, suās opēs firmāvit. Tum dēmum mors rēgis nuntiāta
est. Servius, praesidiō firmō mūnītus, prīmus iniussū populī 35
voluntāte patrum rēgnāvit.

10a. Servius Tullius

Servius prīmum cēnsum īstituit et populum in classēs prō 1
opibus discrīpsit. ex cēnsū posteā officia bellī pācisque tribūta
sunt. Ad multitūdinem crescentem duo collēs, Quirīnālis
Vīminālisque, ad urbem additī sunt. Imperium quoque hōc cōnsiliō
auctum est. Fānum erat nōbile Diānae Ephesiae, quod commūniter 5
ā cīvitātibus Asiae factum esse dīcēbātur. Servius per principēs
Latīnōrum, eō cōsēnsū cīvitātum Asiāticārum vehementer
laudātō, tandem populīs Latīnīs persuāsit ut Rōmae cum populō
Rōmānō fānum Diānae facerent. Ea erat cōfessiō caput rērum
Rōmam esse, dē quō totiēns certātum erat.

10

10b. Servius Tullius

Lūcius Tarquinius, Prīscī filius, interdum querēbātur quod Servius iniussū populī rēgnāret. Servius igitur agrum prius captum ex hostibus virītim dīvīsit; hōc modō voluntātem plebis conciliāvit. Populus deinde maximō cōnsēnsū eum rēgnāre iussit.

Rēx duās fīliās Lūciō atque Arruntī Tarquinīs, Priscī fīliīs, in 15 mātrimōnium dederat. Mōrēs hōrum disparēs erant. Nam Arrūns Tarquinius mītis erat, L. Tarquinius ferōx et cupidus rēgnī. Duae Tulliae item dispārēs erant. Forte Arrūns ferōcem in mātrimōnium dūxerat. Similitūdō celeriter L. Tarquinium et ferōcem Tulliam contrahit. Cum prope continuīs caedibus domōs vacuās fēcissent, 20

10c. Servius Tullius

iunguntur nūptiīs. Paulātim inde mulier coniugem ad caedem Servī excitat. Itaque Tarquinius prius omnibus rēbus cīvēs et maximē patrēs conciliāvit.

Postrēmō, ubi iam tempus agendī vīsum est, stīpātus armātīs in forum irrūpit. Inde in rēgiā sēde prō Cūriā sedēns patrēs in Cūriam 25 per praecōnem ad rēgem Tarquinium vocārī iussit. Ibi incūsābat rēgem, quod rēgnum muliebrī dōnō occupāvisset; querēbātur item dē cōnsiliīs populāribus, dē agrō plēbī dīvisō, dē cēnsū īstitūtō.

Dum loquitur, Servius intervēnit et ā vestibulō Cūriae magnā vōce, “Quid tibi vīs,” inquit, “Tarquinī? Quā audaciā tū, mē vīvō, 30

10d. Servius Tullius

vocāre patrēs aut in sēde meā cōnsīdere ausus es?" Tarquinius ferōciter respondit sē sēdem patris suī tenēre, sē rēgnī hērēdem esse. Tum medium arripit Servium, ēlātumque ē Cūriā per gradūs dēicit; inde in Cūriam redit. Appāritōrēs rēgis fugiunt. Rēx ipse ā servīs Tarquiniī interficitur. Tullia, carpentō in forum invecta, 35 coniugem ēvocāvit rēgemque prīma appellāvit. Dum domum redit, dīcitur patrem in viā iacentem invēnisse et per corpus carpentum ēgisse. Hic locus posteā “scelerātus” vocātus est. Servius Tullius rēgnāvit annōs quattuor et quadrāgintā.

39

11a. Tarquinius Superbus

Inde L. Tarquinius rēgnāre coepit, cui propter facta cognōmen 1
“Superbus” datum est. Prīncipēs patrum, quī Servium dīlēxerant,
interfēcit. Suum corpus armātīs circumsaepsit. Iūdicia capitālīum
rērum sine cōsiliīs per sē sōlus exercēbat. Ita poterat occīdere, in
exsilium agere, bonīs spoliāre omnēs quōs cupiēbat. 5

Etsī rēgēs superiōrēs senātum dē omnibus rēbus cōnsulere soliti
erant, Tarquinius domesticīs cōsiliīs rem pūblicam administrāvit.
Bellum, pācem, foedera, societātēs per sē ipse fēcit. Latīnōrum
gentem sibi maximē conciliābat. Octāviō Mamiliō Tusculānō—is
longē nōbilissimus Latīnōrum erat—fīliam in mātrimōnium dat. 10

11b. Tarquinius Superbus

Cum iam magna Tarquiniī auctōritās inter Latīnōrum principēs
esset, concilium in certam diem convocāvit. Conveniunt frequentēs
prīmā lūce. Ipse Tarquinius diem quidem servāvit, sed paulō ante
sōlis occāsum vēnit. Turnus Herdonius Arīcīnius ferōciter
absentem Tarquinium accūsāvērat. Dīxit Tarquinium patientiam 15
Latīnōrum temptāre et affectāre imperium in eōs. Rēx, hōc
cognitō, quia prō imperiō palam Turnum interficere nōn poterat,
cōfestim statuit falsō crīmine eum opprimere. Proxīmā igitur
nocte auctōre Tarquiniō quīdam Arīcīnī, Turnō inimīcī, in
dēversōrium eius magnum numerum gladiōrum clam intulērunt. 20

11c. Tarquinius Superbus

Tarquinius paulō ante lūcem ad sē principēs Latīnōrum vocāvit certiōrēsque dē gladiīs cēlātīs fēcit: “Cognōvī,” inquit, “Turnum cupere Latīnōrum sōlum imperium tenēre et iam necem omnium parāre.” Dūxit deinde eōs ad dēversōrium. Ubi gladiī ex omnibus locīs dēversōriī prōlātī sunt, manifesta vīsa est rēs, Turnusque in 25 catēnīs coniectus est.

Cōfestim concilium Latīnōrum convocātur. Ibi magna indignatiō oritur, gladiīs in mediō positīs. Itaque Turnus, indictā causā, in aquam Ferentīnam mersus est. Rēx, auctōritāte inter Latīnōs ita auctā, cum eīs renōvāvit foedus quod ā Tullō rēge anteā 30

11d. Tarquinius Superbus

factum erat. Latīnī nōn repugnāvērunt, quamquam in eō foedere rēs Rōmāna superior erat. Mors enim Turnī docēbat potentiam Tarquinī ac perīculum eōrum quī resistēbant.

Tarquinius, quamquam iniūstus in pāce rēx fuit, ducem bellī tamen nōn prāvum sē praebuit. Is p̄imus cum Volscīs bellum 35 gessit et magnam praedam cēpit. In aliō bellō cum Gabiōs, vīcīnam urbem, vī capere nōn posset, fraude ac dolō per filium suum Sex. Tarquinium aggressus est.

Sextus enim, filius Tarquinī, quī minimus ex tribus erat, trānsiit Gabiōs, crūdēlitātem intolerābilem patris vehementer quaerēns 40

11e. Tarquinus Superbus

atque adiuvāre Gabīnōs adversus eum pollicēns. Benignē ā Gabīnīs exceptus in cōnsilia pūblica adhibētur, et dēnique dux legitur. Proelia parva inter Rōmam Gabiōsque facta sunt, quibus Gabīnī superiōrēs erant. Gabīnī Sex. Tarquinium dōnō deōrum sibi missum esse ducem crēdidērunt.

45

Inde Sextus ūnum ex suīs Rōmam mīsit, quī mandāta patris peteret. Rēx nihil vōce respondit, sed tamquam rem dēliberāns in hortum aedium trānsiit, sequente nūntiō filiī; ibi inambulāns tacitus summa papāverum capita baculō dēiēcit. Nūntius, dēfessus interrogandō exspectandōque respōnsum, redit Gabiōs remque 50

11f. Tarquinius Superbus

mīram refert. Sextus intellēxit quid pater fierī vellet. Prīncipēs igitur cīvitātis variīs crīminibus necāvit. Rēs Gabīna, ita spoliāta, cōnsiliō auxiliōque rēgī Rōmānō sine certāmine gravī trāditur.

Gabiīs receptīs, Tarquinius ad negōtia urbāna animum convertit.
Prīnum templum in monte Tarpeiō aedificāre tōtumque montem 55
Iovī dēdicāre constituit. Hoc templum pater iam anteā vōverat. Ad
hoc opus fabrīs Etrūscīs et operāriīs ex plēbe Rōmānā ūsus est.
Plēbs etiam ad alia opera trāducta forōs in Circō fēcit Cloācamque
Maximam sub terram ēgit, quam etiam nunc vidēmus. Multī colōnī
Signiam Circeiōsque missī sunt quī praesidia urbī essent. 60

11g. Tarquinius Superbus

Dum haec aguntur, portentum terribile vīsum est; anguis ex columnā ligneā ēlāpsus terrōrem fugamque in rēgiā fēcit atque ipsīus rēgis pectus ānxiīs cūrīs implēvit. Itaque Tarquinius filiōs, Titum et Arruntem, Delphōs ad clārissimum in terrīs ḫrāculum mittere statuit.

65

Comes eīs additus est L. Iūnius Brūtus, ex Tarquiniā, sorōre rēgis, nātus. Cognōmen eius hōc modō parātum erat; rēx eōs principēs cīvitātis quōs timēbat interficere solēbat, in quibus frātrem Brūtī interfēcit. Hic, ut crūdēlitātem rēgis vītāret, consultō 69

11h. Tarquinius Superbus

stultitiam imitātus bona sua rēgem spoliāre passus est neque 70
cognōmen Brūtī recūsāvit.

Is tum igitur ab Tarquiniīs ductus est Delphōs, lūdibrium vērius
quam comes. Tulit tamen dōnum Apollinī aureum baculum
inclūsum in baculō corneō, tamquam effigiem ingenī suī.
Postquam iuvenēs Delphōs vēnērunt patrisque mandāta 75
cōnfēcērunt, statuērunt quaerere ex ḍrāculō ad quem eōrum
rēgnum esset ventūrum.

Vōx reddita est: “Imperium summum Rōmae habēbit quī
vestrum prīmus, o iuvenēs, mātrem osculābitur. Tarquiniī, Brūtum 79

11i. Tarquinius Superbus

contemnentēs, ipsī inter sē iūs mātris ūsculandae Rōmae sortī 80
permittunt. Brūtus, quī aliō modō ūrāculum interpretātus erat,
cecidit terramque ūsculātus est, scīlicet quod ea commūnis māter
est omnium mortālium. Rediērunt inde iuvenēs Rōmam. 84

12a. The Banishment of Tarquinius

Paulō post Rōmānī, quī iam dūdum superbiam Tarquiniī rēgis 1
atque fīliōrum aegrē ferēbant, ita scelere quōdam Sex. Tarquiniī
concitātī sunt ut rēgiam familiā in exsilium pellere statuerent.

Tarquinius Collātīnus, sorōre Tarquiniī Superbī nātus, in
contuberniō iuvenum rēgiōrum Ardeae erat; cum forte in līberiōre 5
conviviō coniugem suam ūnus quisque laudāret, placuit experīrī.
Itaque equīs Rōmam petunt. rēgiās nurūs in conviviō vel lūxū
dēprehendunt. Et inde Collātiām petunt. Lucrētiām, uxōrem
Collātīnī, inter ancillās in lanificiō offendunt; itaque ea
pudīcissima iūdicātur. Ad quam corrumpendum Sex. Tarquinius 10

12b. The Banishment of Tarquinius

nocte Collātiam rediit et iūre propinquitatis in domum Collātīnī
vēnit et in cubiculum Lucrētiae irrūpit, pudīcitiam expugnāvit.

Illa posterō diē advocationis patre et coniuge rem hīs verbīs
exposuit: “Vestīgia virī alienī, Collātīne, in lectō sunt tuō; cēterum
corpus est tantum violātum, animus īnsonis; mors testis erit. Sed 15
date dexterās fidemque haud impūne adulterō fore. Sex. est
Tarquinius, quī hostis prō hospite priōre nocte vī armātus mihi
sibique, sī vōs virī estis, pestiferum hinc abstulit gaudium.”

Dant ūrdine omnēs fidem; cōsolantur aegram animī āvertendō
noxam ab coāctā in auctōrem dēlictī; mentem peccāre, nōn corpus, 20

12c. The Banishment of Tarquinus

et unde cōnsilium āfuerit, culpam abesse. “Vōs,” inquit, “vīderitis, quid illī dēbētur. Ego mē etsī peccātō absolvō, suppliciō nōn līberō; nec ūlla deinde impudīca Lucrētiae exemplō vīvet.” Sē cultrō, quem veste tēxerat, occīdit. Illī in exitium rēgum coniūrāvērunt eōrumque exsiliō necem Lucrētiae vindicāvērunt. 25

Tum prīmum vērum ingenium Brūtī apertum est. Eō enim duce populus iūrāvit sē nec Tarquinium nec alium quemquam rēgnāre Rōmae passūrum esse. Brūtus inde in castra profectus est, ubi exercitus Rōmānus Ardeam, caput Rutulōrum, obsidēbat. Tulliam rēgīnam domō profugientem omnēs virī mulierēsque execrātī sunt. 30

12d. The Banishment of Tarquinius

Ubi nuntiī hārum rērum in castra perlātī sunt, rēx Rōmam perrēxit. Brūtus adventum rēgis sēnsit flexitque viam. Ita eōdem ferē tempore dīversīs itineribus Brūtus Ardeam, Tarquinius Rōmam vēnērunt. Hic portās clausās invēnit; Brūtum līberātōrem urbis laeta castra accēpērunt exāctīque sunt līberī rēgis; duo patrem 35 secūtī exulēs advēnērunt Caere, quae urbs Etrūsca erat; Sextus Tarquinius Gabiōs, tamquam in suum rēgnum, profectus ab ultōribus veterum iniūriārum quās ipse intulerat interfectus est.

L. Tarquinius Superbus rēgnāvit annōs quīnque vīgintī. Rēgnum Rōmae annōs ducentōs quadrāgintā dūrāverat. Duo cōsulēs 40 inde creātī sunt, L. Iūnius Brūtus et L. Tarquinius Collātīnus.

13a. Horatius Cocles

Tarquinius, ut rēgnum reciperet, ad Lartem Porsenam Clūsinum 1
rēgem fūgit. Eī persuāsit nē rēgem Etrūscae sanguinis rēgnō prīvārī
paterētur. Porsena Rōmam īfestō exercitū vēnit. Magnus terror
senātum occupāvit; adeō firma rēs Clūsīna tum erat magnumque
Porsenae nōmen. 5

Cum hostēs adessent, omnēs in urbem ex agrīs veniunt
urbemque ipsam mūniunt praesidiīs. Alia loca mūrīs, alia Tiberī
obiectō, vidēbantur tūta. Pōns Sublicius tamen iter paene hostibus
dedit, nī ūnus vir fuisset, Horātius Cocles, quī forte ad pontem
positus erat. Clūsīnī repentinō impetū Iāniculum cēpērunt atque 10
inde vēlōciter ad flūmen dēcurrēbant.

13b. Horatius Cocles

Cocles, cum suōs fugere vīdisset, ūrāvit eōs ut manērent et 12
pontem rescinderent; sē impetum hostium, quantum ūnus posset id
facere, exceptūrum esse. Prōcessit inde in prīmum aditum pontis
ipsāque audāciā turbāvit hostēs. 15

Duōs tamen cum eō pudor tenuit, Sp. Larcium et T. Herminium,
ambōs clārōs genere factīsque. Cum hīs prīmam pugnam paulīsper
sustinuit. Deinde eōs, parvā parte pontis relictā, cēdere in tūtum
iussit. Pudor inde commōvit Etrūscōs, et, clāmōre sublātō, undīque
in ūnum hostem tēla coniciunt. Dēnique, ponte paene rescissō, 20

13c. Horatius Cocles

Cocles armātus in Tiberim dēsiluit incolumisque ad suōs trānāvit.
Grāta ergā tantam virtūtem cīvitās fuit: statua eius in comitiō posita
est, et agrī quantum ūnō diē circumarāvit datum est.

23

14a. Mucius Scaevola

Porsena, praesidiō in Iāniculō locātō, in rīpīs Tiberis castra posuit. Cum Gaius Mūcius, adulēscēns nōbilis, ad senātum adiisset, “Trānsīre Tiberim”, inquit, “ Pātrēs, et intrāre, sī possim, castra hostium volō.” Patrēs probāvērunt, et Mūcius profectus est. Ibi, cum stipendium militibus Etrūscīs forte darētur; scrība cum 5 rēge pārī ferē ornātū sedēbat. Mūcius scrībam prō rēge occīdit et statim comprehensus est.

Cum rēx, perīculō territus, nisī omnēs insidiās contrā rēgem aperīret, Mūcium ignī darī iubēret, Mūcius dextram in ignī ad sacrificium accensō posuit. Rēx, attonitus, ab sēde suā prōsiluit 10

14b. Mucius Scaevola

āmōvērīque ab ārā iuvenem iussit. Porsenna virtūtem eius mīrātus
est et “Tē intactum inviolātumque,” inquit, “hinc dīmittam.”
Mūcium, cui posteā cognōmen Scaevolae datum est, lēgātī ā
Porsennā Rōmam sēcūtī sunt et ibi condīciōnēs pācis tulērunt. 14

15. Cloelia

Porsena filiās nōbilium Rōmānōrum inter obsidēs accēpit. Cloelia virgō ūna ex obsidibus fuit. Cum castra Etrūscōrum forte haud procul rīpā Tiberis locāta esset, Cloelia, dux agminis virginum, inter tēla hostium Tiberim trānāvit, integrōsque omnēs Rōmam restituit. Quod ubi rēgī nuntiātum est, rēx, īrā incensus, 5 ūrātōrēs Rōmam mīsit ad Cloeliam obsidem dēposcendam.

Cum Cloelia revēnisset, Porsena virtūtem virginis laudāvit et id facinus suprā Coclītēs Mūciōsque esse dīxit. Tum, eam cum parte obsidum Rōmam rēmīsit. Pāce redintegrātā, Rōmānī novam in fēminā virtūtem novō genere honōris, statuā equestrī, dōnāvērunt; 10 in summā Sacrā viā fuit posita virgo insidēns equō.

16a. The Secession of the Plebs

Prīmīs temporibus reī pūblicae līberae magna dissēnsio orta est 1
inter patrēs et plēbem propter aes aliēnum, quō paene tōta plēbs
premēbantur. Crēditōrī enim licēbat dēbitōrem etiam in servitūtem
dūcere. Praetereā iūs reddēbātur ā cōnsulibus, quī magistrātus
tantum patribus patēbat. 5

Cum iam plēbs auxilium ā cōnsulibus postulārent, Latīnī
equitēs nunitavērunt Volscōs ad urbem oppugnandam venīre. Plēbs
exultābant gaudiō, atque inter sē hortābantur nē nōmina darent. At
ūnus ē cōnsulibus, plēbe convocāta, pollicitus est iūdicia
intermittere quoad mīlitēs in castrīs essent; bellō cōflectō, senātum 10

16b. Secession of the Plebs

plēbī cōnsultūrum esse. Eō modō plēbī persuāsit ut nōmina darent.

Volscī aliīque populī fīnitimī victī sunt.

Posteā tamen iūs dē crēditīs pecūniīs crūdēliter, ut anteā, dictum est. Tandem plēbs, cum exercitus, aliō bellō coörtō, in armīs esset, dēspērātō cōsulūm senātūsque auxiliō, in Sacrum montem 15 sēcessērunt. Hic mons trāns Aniēnem flūmen est, tria ab urbe mīlia passuum. Patrēs arbitrātī nūllam spem nisi in concordiā cīvium reliquam esse, ad plēbem mīsērunt Menēnium Agrippam, ipsum plēbeium et plēbī cārum.

19

17. Menenius Agrippa

Menēnius hoc narrāvisse fertur: “Ōlim relinquae partēs corporis 1
hūmānī indignābantur quod suā cūrā, suō labōre ac ministeriō
ventrī omnia quaererentur, venter in mediō quiētus datīs
voluptātibus fruerētur; coniūrāvērunt inde nē manūs ad ḍs cibum
ferrent, nēve ḍs datum cibum acciperet, nēve dentēs cōnficerent. 5
Sed dum ventrem famē domāre volunt, ipsa membra tōtumque
corpus paene periērunt. Inde sēnsērunt ventris quoque ministerium
haud iners esse.”

Ostendit deinde dissēnsiōnem inter partēs corporis similem esse
īrae plēbis in patrēs et ita flexit mentēs hominum. Concordiā 10
reconciliātā, plēbī permissum est suōs magistrātūs creāre tribūnōs
plēbeiōs, quī auxilium plēbī adversus cōsulēs ferrent.

18a. Cincinnatus

Posteā, dum tribūnī imperium cōsulāre lēgibus dēfīnīre 1
cōnantur, L. Quīncius Cincinnātus cōsul factus est. Ut
magistrātum init, reprehendit et senātum et plēbem, quod eīdem
tribūnī etiam atque etiam creātī cīvitātem turbārent. Senātus igitur
dēcrēvit magistrātūs continuārī contrā rem pūblicam esse. 5

Plēbs tamen eōsdem, quōs anteā, tribūnōs creāvērunt. Patrēs
quoque, nē quid cēderent plēbī, Lūcium Quīncium cōsulem
fēcērunt. At is, “Minimē mīrum est,” inquit, “sī nihil auctōritātis,
patrēs cōscrīptī, habētis apud plēbem. Vōs eam minuitis, quī in
continuandīs magistrātibus plēbem imitāmini. Ego mē contrā 10

18b. Cincinnatus

senātūs cōnsultum cōnsulem reficī nōn patiar.” Alius igitur cōnsul factus est.

Post paucōs annōs Aequī exercitum Rōmānum mūnītiōnibus clausum obsidēbant. Cum hoc Rōmam nuntiātum esset, L. Quīnctius consensū omnium dictātor dictus est. Lēgātī ā senātū 15 missī eum invēnērunt trāns Tiberim agrum quattuor iūgerum colentem atque in opus intentum. Rogāvērunt ut togātus mandāta senātūs audīret. Quīnctius admīrātus iubet uxōrem togam properē ē tuguriō prōferre. Cum, abstersō sūdōre, togā vēlātus prōcessisset, dictātōrem eum lēgātī salūtant atque in urbem vocant; quī terror sit 20 in exercitū expōnunt.

18c. Cincinnatus

Quīnctius exercitum obsessum celeriter līberāvit et hostēs sub 22
iugum mīsit. Triumphāns urbem iniit sextōque decimō diē
dictātūram in sex mensēs acceptam dēposit. 24

19a. The Gallic Invasion of 395 BC

Ōlim lēgātī ab Clūsīnīs Rōmam vēnērunt auxilium petentēs 1
adversus Senonēs, gentem Gallicam. Tum Rōmānī mīsērunt
lēgātōs quī monērent Gallōs nē amīcōs populī Rōmānī
oppugnārent. Proeliō tamen commissō, lēgātī Rōmānī contrā iūs
gentium arma cēpērunt auxiliumque Clūsīnīs tulērunt. Gallī posteā 5
ā senātū Rōmānō postulāvērunt ut prō iūre gentium ita violātō
lēgātī Rōmānī dēderentur. Hōc negātō, exercitus Gallicus Rōmam
profectus est.

Rōmānī, quī nihil ad tantum perīculum idōneum parāvērunt,
apud flūmen Alliam superātī sunt. Diem quō hoc proelium factum 10

19b. The Gallic Invasion of 395 BC

est Rōmānī postea Alliēnsem appellāvērunt. Magna pars exercitūs incolumis Veiōs perfūgit. Cēterī Rōmam petiērunt et nē clausīs quidem portīs urbis, in arcem Capitoliumque cum coniugibus et liberīs sē contulērunt.

Gallī ingressī urbem nēmini parcunt, dīripiunt incenduntque 15 tēcta. Post aliquot diēs, testūdine factā, impetum in arcem fēcērunt. At Rōmānī mediō ferē colle restitērunt atque inde, ex locō superiōre impetū factō, Gallōs pepulērunt. Obsidio inde ā Gallīs parāta est. Pars exercitūs Gallicī dīmissa est ad frūmentum conferendum ex agrīs populōrum fīnitimōrum. Hōs fortūna ipsa 20

19c. The Gallic Invasion of 395 BC

dūxit Ardeam, ubi Camillus, imperātor clārissimus, in exsiliō vīvēbat. Ardeātēs, eō duce, castra Gallōrum nocte oppugnant et solūtōs somnō trucīdant. Veiīs interim nōn animi sōlum in diēs sed etiam vīrēs crescēbant.

Nam praeter Rōmānōs, quī ex pugnā Alliēnsī eō perfūgerant, 25 voluntāriī ex Latiō conveniēbant. Hī iam constituērunt Rōmam hostibus līberāre. Omnibus placuit Camillum arcessī, sed anteā senātum cōsulī. Ad eam rem Pontius Cominius, audāx iuvenis, sublevātus cortice secundō Tiberī ad urbem dēfertur. Senātū probante, Camillus dictātor dictus est. 30

19d. The Gallic Invasion of 395 BC

Interim arx Rōmae Capitōlīumque in ingentī perīculō fuērunt.
Nocte enim Gallī, praemissō mīlite quī viam temptāret, tantō
silentiō in summum ēvāsērunt ut nōn sōlum custōdēs fallerent, sed
nē canēs quidem excitārent. Ānsērēs autem nōn fefellērunt, quī
avēs Iūnōnis sacrae erant. Nam M. Mānlius, vir bellō ēgregius, 35
clangōre eōrum ālārumque crepitū excitātus, dēiēcit Gallum quī
iam in summō constiterat. Iamque aliī Rōmānī tēlīs saxīsque hostēs
prōpellunt, tōtaque aciēs Gallōrum praeceps dēfertur.

Sed famēs iam utrumque exercitū urgēbat, Gallōs pestilentia
etiam. Diem ex diē Rōmānī frustrā auxilium ab dictātōre 40

19e. The Gallic Invasion of 395 BC

exspectābant. Postrēmō mille pondō aurī cum Gallīs pactī sunt ut obsidiōnem relinquerent. Huic reī, per sē turpissimae, indignitās addita est; nam pondera ab Gallīs allāta sunt iniqua. Rōmānī recūsantibus, gladius ā Brennō, rēge Gallōrum, ponderī additus est cum hīs verbīs, “Vae victīs.” Sed priusquam rēs perfecta est, 45 dictātor pervēnit auferrīque aurum dē mediō et Gallōs summōvērī iussit. Cum illī dicērent sē pactōs esse, negat eam pactiōnem valēre, quae, postquam ipse dictātor creātus esset, iniussū suō facta esset; tum dēnuntiāt Gallīs ut sē ad proelium parent.

49

19f. The Gallic Invasion of 395 BC

Gallī et in urbe et alterō proeliō viā Gabīnā superātī sunt. 50
Dictātor triumphāns in urbem rediit; “Rōmulus” ac “parens patriae
conditorque alter urbis” appellābātur. Deinde servātam in bellō
patriam iterum in pāce servāvit. Cum enim tribūnī plebem
agitārent ut, relictīs Rōmae ruinīs, Veiōs migrārent, Camillus
ōrātiōne ācrī cīvibus persuāsit ut Rōman restituerent. Centuriō 55
quoque populum mōvit vōce opportūnē ēmissā, quī cum cohortibus
forum trānsiēns clāmāvit: “Signum statue, signifer, hīc manēbimus
optimē.” Quā vōce audītā, et senātus ē Cūriā ēgressus ūmen
accipere sē conclāmāvit, et plēbs circumfūsa probāvērunt. 59

20a. Pyrrhus of Epirus and Gaius Fabricius

Rōmānī, ā Pyrrhō, rēge Epīrī, proeliō superātī, lēgātōs Tarentum 1
ad eum dē redimendīs captīvis mīsērunt. Inter lēgātōs Rōmānōs
erat C. Fabricius, vir bonus et bellō ēgregius, sed admodum pauper.
Pyrrhus, quī cum Rōmānīs pācem facere volēbat, lēgātīs magna
dōna obtulit, sī Rōmānīs pācem suādērent. Quamquam haec omnia 5
sprēta sunt, rēx tamen captīvōs dīcitur sine pretiō Rōmam mīsisse.

Pyrrhus, Fabriciī virtūtem admirātus, illī sēcrētō quārtam etiam
regnī suī partem obtulit sī patriam dēsereret sēcumque vīveret; cui
Fabricius ita respondit: “Sī mē virum bonum iūdicās, cūr mē vīs
corrumpere? Sīn vērō malum, cūr meam amīcitiam cupis?” Annō 10

20b. Pyrrhus of Epirus and Gaius Fabricius

interiectō, omnī spē pācis inter Pyrrhum et Rōmānōs conciliandae 21
ablātā, Fabricius, consul factus, contrā eum missus est. Cumque
vīcīna castra ipse et rēx habērent, medicus rēgis nocte ad
Fabricium vēnit eīque pollicitus est, sī praemium sibi prōposuisset,
sē Pyrrhum venēnō necātūrum. Hunc Fabricius vīnctum ad 25
Pyrrhum remīsit atque eum certiōrem fēcit quae medicus pollicitus
esset. Tum rēx admīrātus eum dīxisse fertur: “Ille est Fabricius, quī
difficilius ab honestāte quam sōl ā suō cursū potest āvertī.”

Fabricius cum apud Pyrrhum rēgem lēgātus esset, cum Cīneā,
lēgātō Pyrrhī, sermōnem contulit. Hic dīxit quendam philosophum 30

20c. Pyrrhus of Epirus and Gaius Fabricius

esse Athēnīs, quī dīceret omnia quae facerēmus ad voluptātem esse 31
referenda. Tum Fabricium exclāmāsse ferunt: “Utinam id hostibus
nostris persuādeāmus, quō facilius vincī possint, cum sē
voluptātibus dederint!” Nihil magis ab eius vītā aliēnum erat quam
voluptās et lūxus. Tōta eius suppellex argentea ex salīnō ūnō 35
cōnstābat et ex patellā ad ūsum sacrōrum, quae corneō pediculō
sustinēbātur. Cēnābat ad focum rādīcēs et herbās, cum lēgātī
Samnītium ad eum vēnērunt magnamque eī pecūniā obtulērunt;
quibus sīc respondit: “Quamdiū cupiditātibus imperāre poterō, nihil
mihi deerit; vōs autem pecūniā eīs quī cupiunt dōnāte.” 40

20d. Pyrrhus of Epirus and Gaius Fabricius

Fabricius omnem vītam in gloriōsā paupertāte exēgit, adeōque 41
inops dēcessit ut unde dōs fīliārum dārētur nōn relinqueret. Senātus
patris sibi partēs sūmpsit et, dātīs ex aerāriō dōtibus, fīliās
collocāvit.

21a. Regulus and the 1st Punic War

Cum prīmō Pūnicō bellō Rōmānī contrā Carthāginiēnsēs dē 1
imperiō Siciliae contenderent, M. Atīlius Rēgulus, consul
Rōmānus, nāvālī pugnā classem Pūnicam superāvit. Proeliō factō,
Hannō, dux Carthāginiēnsis, ad eum vēnit simulāns sē velle dē
pāce agere, rē verā ut tempus extraheret, dum novae cōpiae ex 5
Africā advenīrent. Militēs Rōmānī clamāre coepērunt Rēgulum
idem facere oportēre quod Carthāginiēnsēs paucīs ante annīs in
cōnsule quōdam fēcissent. Is enim tamquam in colloquium per
fraudem vocātus ā Poenīs comprehēnsus erat et in catēnās
coniectus. Iam Hannō timēre incipiēbat, sed perīculum respōnsō 10

21b. Regulus and the 1st Punic War

callidō reppulit. “Sī hoc fēceritis,” inquit, “nihilō eritis Poenīs 11
meliōrēs.” Consul tacere iussit eōs quī pār pārī referrī volēbant, et
conveniēns gravitātī Rōmānae respōnsum dedit: “Istō tē metū,
Hannō, fidēs Rōmāna līberat.” Dē pāce, quia Poenus ex animō nōn
agēbat et consul bellum gerere quam pācem facere mālēbat, nōn 15
convēnit.

Deinde Rēgulus et collēga, L. Mānlius Vulsō, in Āfricam prīmī
Rōmānōrum ducum trānsiērunt. Ibi, multīs castellīs expugnātīs
magnāque praedā captā, Tūnētem occupāvērunt, quae urbs decem
tantum milibus passuum ā Carthāgine aberat. Vulsō in Italiam cum 20

21c. Regulus and the 1st Punic War

parte mīlitum rediit, collēgā ad agrōs vāstandōs relictō. Dum 21
Rēgulus ita hiemem in Āfricā agit, vīlicus in agellō septem
iugerum, quem Rēgulus cōnsul habēbat, mortuus est; occāsiōnem
nactus mercenārius, ablātō rūsticō īstrūmentō, aufūgit. Ita
perīculum erat nē, dēsertō agrō, alimenta uxōrī Rēgulī ac līberīs 25
deessent. Dīcitur litterīs ā cōsulibus petīsse ut sibi successor
mitterētur. At senātus agrum colī pūblicē et alimenta coniugī eius
ac līberīs praebērī rēsque quās āmīserat redimī iussit.

Īnsequentī annō Lacedaemonius quīdam, nōmine Xanthippus,
reī mīlitāris perītissimus, Carthāginem cum conductīs vēnit. 30

21d. Regulus and the 1st Punic War

Carthāginiēnsibus celeriter persuāsit ut sē ducem facerent. Quō 31
factō fortūna mutāta est. Nam nōn sōlum exercitum Rōmānum
vīcērunt sed etiam Rēgulum imperātorem cēpērunt.

Paucīs post annīs, cum iterum dē pāce agere cōnstituissent,
Rēgulum cum lēgātīs Rōmam mīsērunt quī Rōmānīs pācem 35
suādēret, et dē commūtandīs captīvīs ageret; iūre iūrandō autem
adstrictus est ut, nisi dē captīvīs impetrāret, redīret ipse
Carthāginem. Is, cum Rōmam vēnisset, ēgit aliter ac Poenī
mandāverant. Nam senātuī suāsit nē pāx cum Poenīs fieret; illōs
enim fractōs tot cāsibus spem nūllam habēre; reddī captīvōs 40

21e. Regulus and the 1st Punic War

negāvit esse ūtile; adulēscentēs esse et bonōs ducēs, sē iam 41
confectum senectūte; dīxit etiam malum exemplum futūrum esse,
sī captīvī Rōmānī redimerentur. Senatus eō auctore pācem
recūsāvit Poenōsque captivōs retinuit. Rēgulus ut captīvus
coniugem parvōsque nātōs ā sē remōvit Carthāginemque rediit. Ibi 45
crūdēlissimīs suppliciīs necātus esse dīcitur.

22a. Hannibal and the 2nd Punic War

Carthāginiēnsēs post prīmum Pūnicum bellum imperium 1
opēsque in Hispaniā diligenter auxērunt. Dux huius operis
Hamilcar erat, quī imperātor primō bellō fuerat atque indignābātur
quod Carthāgō eō bellō Siciliam Sardiniamque āmīserat.

Hannibal, eius filius, annōs novem nātus, patre incitante, iūrāvit 5
sē semper hostem futūrum esse populī Rōmānī. Posteā in
Hispaniam missus est. Tam similis patrī ūre vultūque erat ut mīlitēs
Hamilcarem iuvenem redditum sibi esse crēderent. Ingenium
autem erat ad rēs diversissimās, pārendum atque imperandum,
aptum. Nōn minus Hasdrubalī, imperātōrī, quī, interfectō 10

22b. Hannibal and the 2nd Punic War

Hamilcare, eī successor fuit in Hispāniā, quam exercituī cārus erat. 11

Neque Hasdrubal alium quemquam mīlitibus praeficere malēbat,

neque mīlitēs aliō duce plūs cōfidēbant aut audēbant.

Hasdrubale interfectō, Hannibal, nātus annōs vīgintī septem
imperātor creātus, cōnstituit Rōmānōs vincere, ut Carthāginem in 15
pristīnam auctōritātem restitueret. Prīmum obsidiōne urbem
Saguntīnōrum cēpit, quī sociī Hispāniēnsēs Rōmānōrum erant.
Deinde per montēs Pyrenaeōs atque Alpēs iter difficile in Italiam
fēcit. Ibi Rōmānōs exercitūs superāvit ad Tīcīnum flūmen, ad
Trebiam, ad Trasummenum lacum, in Āpuliā ad Cannas. In 20

22c. Hannibal and the 2nd Punic War

Āpūliam vēnerat eō cōnsiliō, ut spē libertatis sociōs Rōmānōrum 21
sollicitāret. Quīdam ex sociīs amīcitiam Hannibalis secūtī sunt, sed
multī in fidē Rōmānōrum mānsērunt. Cum optimī ducēs Rōmānī
adversus Hannibalem mitterentur, numquam tamen eum dēvincere
potuērunt. Sēdecim annōs in Italiā neque victor neque victus 25
mānsit.

23a. Quintus Fabius Maximus and the 2nd Punic War

Postquam Rōmānī clādem ad Trasumennū lacū accēpērunt, 1

Q. Fabius Maximus dīctātor creātus est, et M. Minūcius Rūfus magister equitū. Cōnsilium erat Fabiī nūllō locō cum hoste dēcertāre, sed fīnēs Rōmānōrum sōciōrumque intuērī et levibus proeliīs mīlitum fortitūdinem augēre. Hannibal, hōc cōnsiliō 5 turbātus, dictātōrem invidiā onerāre cōnstituit. Itaque cum ager Fabiī eī monstrātus esset, omnibus agrīs circā vastātīs, ūnī agrō dictātōris pepercit. At Fabius, missō Rōmam Quintō filiō, agrum vēndidit pecūniāque redāctā captīvōs Rōmānōs redēmit.

Ratiō Fabiāna bellī gerendī, propter quam Fabiō cognōmen 10 Cūnctātor datum est, Rōmānīs grāta nōn erat. Cum Minūcius,

23b. Quintus Fabius Maximus and the 2nd Punic War

absente dictātōre, aliquantum victōriæ forte adeptus esset, lēx lāta 12
est ut iūs magistrī equitum et dictātōris aequārētur. Iniūriam tamen
Fabius aequō animō tulit, satis fidēns haudquāquam cum imperiī
iūre artem imperandī aequātam esse. Legiōnēs inter dictātōrem et 15
magistrum dīvīsae sunt. Dēnique Minucius, temere proeliō
commissō, ā Fabiō servātus est. Tum sub imperium dictātōris rediit
legiōnēsque restituit et Fabium patrem appellāvit. Rōmae, ut est
perlāta fama eius reī, omnēs Maximum laudibus ad caelum
ferēbant. Multīs post annīs, allīs rēbus interim gestīs, Fabius 20
mortuus est.

24a. Publius Cornelius Scipio Africanus and the 2nd Punic War

P. Cornēlius Scipiō fīlius erat cōnsulis quī exercituī Rōmānō in 1
proeliō ad Tīcīnum flūmen praeſuerat. Fāma est patrem, cum, in eō
proeliō vulnerātus, ab hostibus circumvenīrētur, ā filiō septendecim
nātō annōs servātum esse.

Posteā cum aedīlitātem peteret, tribūnī plēbis resistēbant, quod 5
nōndum ad petendum lēgitima aetās esset. Tum Scīpiō, “Sī mē,”
inquit, “omnēs Quiritēs aedīlem facere volunt, satis annōrum
habeō.” Aedīlis magnō favōre populī, nūllō tribunō resistente,
creātus est. 9

24b. Publius Cornelius Scipio Africanus and the 2nd Punic War

Multīs post annīs pater Scīpiōnis et patruus, quī bellum in 10
Hispāniā gesserant, intrā diēs trīgintā cecidērunt. Comitiīs ēdictīs
ad imperātōrem creandum omnēs seniōrēs imperium Hispāniēnse
accipere nolēbant; tum subitō P. Cornēlius Scīpiō, quattuor et
vigintī annōs nātus, professus est sē petere et in superiōre locō
unde cōnspicī posset, cōnstitit. Deinde ad ūnum omnēs P. Scīpiōnī 15
imperium esse in Hispāniā iussērunt. Posteā tamen cīvēs ob
aetātem imperātōris novī dubitāre incipiēbant num rectē fēcissent.
Scīpiō, hōc animadversō, cōntiōnem habuit et tam grāviter disseruit
ut animōs rūrsus excitāret omnēsque certā spē implēret.

24c. Publius Cornelius Scipio Africanus and the 2nd Punic War

Quīnque annōs in Hispaniā bellum adversus Carthaginiēnsēs 20
continuō cursū victōriārum gessit. Exercitūs hostium ex Hispāniā
expulit et amīcitiās gentium Hispāniēnsium sibi conciliāvit. Multa
narrantur dē Scipiōnis mānsuētūdine in miserōs et dē cōmitāte in
hostēs ac barbarōs. Virginem Hispānam, captam Carthāgine Novā,
quae Alluciō, prīncipī Celtibērōrum, dēspōnsa erat, spōnsō trādidit. 25
Magnum quoque aurī pondus, quod virginis parentēs ad
redimendam filiam attulērunt, spōnsō dedit. Allucius, ut
beneficium remūnerārētur, domum profectus ad Scipiōnem cum
delēctīs mille et quadringentīs equitibus revertit. Massīvam

24d. Publius Cornelius Scipio Africanus and the 2nd Punic War

adulescentem, captīvum Āfrum, restituit avunculō Masinissae 30
Numidārum rēgī, quī cum equitātū subsidiō Carthāginiēnsibus
vēnerat.

Scīpiō, receptā Hispaniā, gloriam cōnficiendī bellī spectāre
coepit. Cōnstituit prius conciliāre rēgēs Āfrōs, Syphācem et
Masinissam, quī sociī Carthāginiēnsium erant. Syphāx colloquium 35
cum duce Rōmānō postulāvit. Scīpiō ab Carthāgine Novā
profectus forte invectus est in rēgium portum eō ipsō tempore quō
Hasdrubal, dux Carthāginiēnsis, quī Hispāniā pulsus erat. Rōmānus
et Carthāginiēnsis, quamquam hostēs erant, ā Syphāce in hospitium

24e. Publius Cornelius Scipio Africanus and the 2nd Punic War

invītātī eōdem lectō accubuērunt. Tanta autem inerat comitās 40
Scīpiōnī ut Hasdrubal nōn minus quam Syphāx Rōmānum
admirārētur. Scīpiō cum Syphāce foedere factō Novam
Carthāginem rediit.

Posteā iter longum per Hispāniām fēcit, ut cum Masinissā
quoque colloquerētur, quem comitāte atque maiestāte facile 45
conciliāvit. Numida grātiās ēgit quod Scīpiō frātris filium
remīssisset dīxitque sē velle in fidē atque amīcitiā populī Rōmānī
esse; Rōmānōs, sī Scīpiōnem ducem in Āfricā mitterent, brevī
tempore Carthāginem captūrōs esse. Scipio, fidē datā acceptāque,
in castra rediit atque mox Rōmam profectus est. 50

24f. Publius Cornelius Scipio Africanus and the 2nd Punic War

Cum ibi consul ingentī favōre factus esset, Sicilia eī prōvincia 51
dēcrēta est permissumque ut in Āfricam trānsīret. Dum in Siciliā
bellum parat, Rōmam ab inīmicīs eius nūntiātum est imperātōrem
exercitumque Syrācūsārum amoenitātē licentiāque corrumpī.
Lēgātīs ā senātū Syrācūsās ad haec cognōscenda missīs, Scīpiō 55
mīlitēs in terrā dēcurrentēs, classem in portū simulācrum nāvālis
pugnae ēdentem, armāmentāria, horrea, bellī alium apparātum
ostendit; tantaque admīratiō lēgātōs cēpit ut satis crēderent aut illō
duce atque exercitū vincī Carthāginiēnsēs aut nūllō aliō posse.
Senātus igitur cēnsuit ut Scīpiō quam prīmum in Āfricam trānsīret. 60

24g. Publius Cornelius Scipio Africanus and the 2nd Punic War

Scipiōnī in Āfricam advenientī Masinissa sē coniūnxit cum 61
parvā manū equitum. Syphāx, quī ā Rōmānīs ad Poenōs dēfēcerat,
captus est Rōmamque missus. Dēnique Carthāginiēnsēs, salūte
desperatā ob multās victōriās Scipiōnis, Hannibalem ex Italiā
revocāvērunt.

65

Frendēns gemēnsque ac vix ā lacrimīs temperāns dīcitur
lēgātōrum verba audīsse. Respexit saepe Italiae lītora, sē accusāns
quod nōn victōrem exercitum statim ab Cannēnsī pugnā Rōmam
dūxisset. Zamam vēnit, quae urbs quīnque diērum iter ab
Carthāgine abest. Inde praemissī speculātōrēs exceptī sunt ab 70
custōdibus Rōmānīs et ad Scipiōnēm dēductī. Ille autem iussit eōs
per castra circumdūcī et ad Hannibalem dīmīsit.

24h. Publius Cornelius Scipio Africanus and the 2nd Punic War

Deinde, quaerente colloquium Hannibale, diēs locusque 73 cōstituitur. Itaque congressī sunt duo maximī suae aetātis ducēs.

Paulīsper tacuērunt admīrātiōne mūtuā dēfīxī. Cum vērō dē 75 condiciōnibus pācis inter eōs nōn convēnisset, ad suōs sē recēpērunt renūntiantēs armīs dēcernendum esse. Commissō deinde proeliō, Hannibal, victus, cum paucīs equitibus fūgit.

Pāx Carthāginiēnsibus data est eīs condiciōnibus quae Rōmānōs suae partis orbis terrārum dominōs facerent. Pāce terrā marique 80 partā, Scīpio, exercitū in nāvēs impositō, Rōmam profectus est. Per Italiam laetam pāce nōn minus quam victōriā iter fēcit. Nōn

24i. Publius Cornelius Scipio Africanus and the 2nd Punic War

urbēs modo ad habendōs honōrēs effūsae sunt, sed agrestium etiam 83
turba viās obsidēbat. Triumphō omnium clārissimō urbem est
invictus cognōmenque Āfricanum sibi sūmpsit. 85

25a. Tiberius Gracchus and 133 BCE

Tiberius et Gaius Gracchī Scīpiōnis Āfricānī ex fīliā nepōtēs 1
erant. Hōrum adulēscētia bonīs artibus et magnā omnium spē
exācta est; ad ēgregiam enim indolem optima accēdēbat ēducātiō.
Erant enim dīligențiā Cornēliae mātris ā puerīs doctī et Graecīs
litterīs ērudītī. Maximum mātrōnīs ḫornāmentum esse līberōs bene 5
īnstītūtōs meritō putābat māter illa sapientissima. Cum Campāna
mātrōna, apud illam hospita, ḫornāmenta sua, illō saeculō
pulcherrima, ostentāret eī muliēbriter, Cornēlia trāxit eam sermōne,
quōusque ē scholā redīrent līberī. Quōs reversōs hospitae
ostendēns, “Haec,” inquit, “mea ḫornāmenta sunt.” Nihil quidem 10

25b. Tiberius Gracchus and 133 BCE

hīs adulēscentibus neque ā nātūrā neque ā doctrīnā dēfuit; sed 11
ambō rem pūblicam, quam tuērī poterant, perturbāre māluērunt.

Tiberius Gracchus, tribūnus plēbis creātus, ā senātū dēscīvit;
populī favōrem profūsīs largītiōnibus sibi conciliāvit; agrōs plēbī
dīvidēbat, prōvinciās novīs colōniīs replēbat. Cum autem 15
tribūniciam potestātem sibi prōrogārī vellet et palam dictitāsset,
interēmptō senātū omnia per plēbem agī dēbēre, viam sibi ad
rēgnum parāre vidēbātur. Quā rē cum convocātī patrēs dēlīberārent
quidnam faciendum esset, statim Tiberius Capitōlium petit, manum
ad caput referēns, quō signō salūtem suam populō commendabat. 20

25c. Tiberius Gracchus and 133 BCE

Hoc nōbilitās ita accēpit, quāsī diadēma posceret, sēgniterque 21
cessante cōsule, Scīpiō Nāsīca, cum esset cōnsobrīnus Tiberiī
Gracchī, patriam cognātiōnī praeferēns sublātā dextrā prōclāmāvit:
“Quī rem pūblicam salvam esse volunt, mē sequantur!” Dein
optimātēs, senātus atque equestris ūrdinis pars maior in Gracchum 25
irruunt, quī fugiēns dēcurrēnsque clīvō Capitōlinō frāgmentō
subsellī īctus vītam, quam glōriōsissimē dēgere potuerat, immātūrā
morte fīnīvit. Mortuī Tiberiī corpus in flūmen prōiectum est.

26a. Gaius Marius

C. Marius humilī locō nātus, prīma stīpendia in Hispāniā duce 1
Scīpiōne fēcit. Imprīmī Scīpiōnī ob ēgregiam virtūtem cārus erat;
Scīpiō enim dīxit, sī quid sibi accidisset, rem pūblicam nūllum
alium successōrem Mariō meliōrem inventūram esse. Quā laude
excitātus Marius spīritūs dignōs rēbus quās posteā gessit concēpit. 5

Posteā lēgātus fuit Q. Metellī, quī bellum in Numidiā contrā
Iugurtham rēgem gerēbat. Rōmam missus, Metellum apud populum
incusāvit, quod bellum dūceret; sī sē cōsulem fēcissent, brevī
tempore aut vīvum aut mortuum Iugurtham captūrum esse. 9

26b. Gaius Marius

Itaque cōsul creātus in Numidiā rediit atque superāvit Bocchum, 10
rēgem Gaetulōrum, ad quem Iugurtha profūgerat. Deinde Sulla,
quaestor Mariī, persuāsit Bocchō ut Iugurtham trāderet.

Marius iterum cōsul creātus in Galliam profectus est, ubi vīcit
Teutōnēs, gentem Germānicam, quī cum Cimbrīs novās sēdēs
quaerēbant. Cum Teutōnēs vallem flūmenque medium tenērent, 15
mīlitēsque Rōmānī, quibus aquae nūlla cōpia erat, aquam
flāgitārent, Marius, “Virī,” inquit, “estis; ēn, illīc aquam habētis.”
Mīlitēs ita concitātī tam āriter pugnāvērunt ut ducenta mīlia
hostium caederentur et nōnaginta caperentur.

26c. Gaius Marius

Însequentī annō Cimbrī etiam caesī sunt. In ipsā pugnā Marius 20 duās cohortēs Camertium, quī mīrā virtūte vim Cimbrōrum sustinēbant, contrā lēgem cīvitāte dōnāvit. Dē quā rē posteā reprehēnsus, sē excūsāvit, quod inter armōrum strepitum verba iūris cīvīlis exaudīre nōn potuisset.

Marius, quī semper factiōnem populārem in rē pūblicā secūtus 25 erat, cum senēceret, invidēre coepit Sullae, quī dux nōbiliū erat. Itaque, cum Sulla in cōnsulātū bellō Mithridāticō praefectus esset, tribūnus quīdam lēge imperium Sullae abrogāvit Mariōque bellum dētulit. Quā rē commōtus, Sulla, quī ex Italiā nōndum excesserat,

26d. Gaius Marius

Rōmam cum exercitū rediit et, urbe occupātā, tribūnum interfēcit 30
Mariūmque fugāvit. Marius aliquamdiū in palūde latuit; acceptā
nāviculā in Africam trānsiit et in agrum Carthāginiēnsem pervēnit.

Ibi cum in locīs sōlitāriīs sedēret, vēnit ad eum līctor Sextiliī
praetōris, quī tum Africam obtinēbat. Ab hōc, quem numquam
laesisset, Marius hūmānitātis aliquod officium exspectābat; at līctor 35
dēcēdere eum dē prōvinciā iussit, nisi in sē animadvertī vellet;
torvēque intuentem et vōcem nūllam ēmittentem Marium rogāvit
tandem, ecquid renūtiārī praetōrī vellet. Marius, “Nūntiā,” inquit,
“tē vīdisse C. Marium in Carthāginis ruīnīs sedentem.”

26e. Gaius Marius

Cum Sulla ad bellum Mithridāticum profectus esset, Marius, 40 revocātus ā Cinnā, in Italiam rediit, calamitāte incēnsus magis quam frāctus. Cum exercitū Rōmam ingressus, eam caedibus et rapīnīs vāstāvit; omnēs adversae factiōnis nōbilēs variīs suppliciōrum generibus affēcit. Quīnque diēs continuōs totidemque noctēs illa licentia scelerum omnium dūrāvit. Tandem Marius, 45 senectūte et labōribus cōflectus in morbum incidit et ingentī omnium laetitiā mortuus est. Cuius virī sī comparentur cum virtūtibus vitia, haud facile sit dictū utrum bellō melior an pāce perniciōsior fuerit.

27a. Lucius Cornelius Sulla

L. Cornēlius Sulla, quī bellō Iugurthīnō quaestor Mariī cōnsulis 1
fuit, usque ad quaestūram vītam lūxuriōsam ēgerat. Marius molestē
tulisse trāditur, quod sibi gravissimum bellum gerentī quaestor
voluptatī dēdītus sorte obvēnisset. Eiusdem virtūs tamen, postquam
in Āfricam vēnit, ēnituit. Bellō Cimbricō lēgātus cōnsulis fuit et 5
bonam operam ēdīdit. Cōnsul ipse deinde factus, pulsō in exilium
Mariō, adversus Mithridātem profectus est. Mithridatēs enim,
Ponticus rēx, vir bellō acerrimus, virtūte ēgrēgiā, odiō in Rōmānōs
nōn īinferior Hannibale fuit. Effēcerat igitur ut omnēs in Asiā cīvēs
Rōmānī eādem diē atque hōrā interficerentur. 10

27b. Lucius Cornelius Sulla

Ac prīmō Sulla illīus praefectōs duōbus proeliīs in Graeciā 11 superāvit; deinde in Asiā Mithridātem ipsum fūdit; oppressisset quoque nisi in Italiam ad bellum cīvile adversus factiōnem populārem redīre properāns quāleme cumque pācem facere māluisset, Mithridātem tamen pecūniā multāvit; dē Asiā aliīsque 15 prōvinciīs quās occupāverat dēcēdere paternīsque fīnibus contentum esse coēgit.

Sulla propter mōtūs urbānōs cum victōre exercitū Rōmam properāvit; eōs quī Mariō favēbant omnēs superāvit. Nihil autem eā victoriā fuit crūdēlius. Sulla, urbem ingressus et dictātor 20

27c. Lucius Cornelius Sulla

creātus, vel in eōs quī sē sponte dēdiderant iussit animadvertī. 21
Quattuor mīlia dēditōrum inermium cīvium in circō interficī iussit.
Quis autem illōs potest ēnumerāre quōs in urbe passim quisquis
voluit occīdit? Dēnique admonuit eum Fūfidius quīdam vīvere
aliquōs dēbēre, ut essent quibus imperāret. Novō et inaudīto 25
exemplō tabulam prōscriptiōnis prōposuit, quā nōmina eōrum quī
occīdendī essent continēbantur; cumque omnium orta esset
indignatiō, postrīdiē plūra etiam nōmina adiēcit. Ingēns caesōrum
fuit multitūdō.

27d. Lucius Cornelius Sulla

Nec sōlum in eōs saevīvit quī armīs contrā sē dīmicāverant, sed 30
etiam quiētōs cīvēs propter pecūniae magnitūdinem prōscrīptōrum
numerō adīecit. Cīvis quīdam innoxius, cui fundus in agrō Albānō
erat, legēns prōscrīptōrum nōmina sē quoque vīdit adscrīptum.
“Vae,” inquit, “miserō mihi!” Mē fundus Albānus persequitur.”
Neque longē prōgressus ā quōdam quī eum āgnōverat interfectus 35
est.

Sulla, oppressīs inimīcōrum partibus, Fēlīcem sē ēdictō
appellāvit; cumque eius uxor geminōs eōdem partū ēdidisset,
puerum Faustum puellamque Faustam nōminārī voluit. Sed paucīs

27e. Lucius Cornelius Sulla

post annīs repente contrā omnium exspectatiōnem dictatūram 40
dēposit. Dēmissīs līctōribus, diū in forō cum amīcīs dēambulāvit.
Stupēbat populus eum prīvātum vidēns, cuius potestās modo tam
metuenda fuerat. Quamquam iam prīvātus erat, nōn sōlum salūs,
sed etiam dignitās manēbat—quī tot cīvēs occīderat. Īnus
adulescēns fuit quī audēret querī et Sullam redeuntem usque ad 45
forēs domūs exsecrārī. Atque ille, cuius īram potentissimī virī
maximaeque cīvitatēs nec effugere nec plācāre potuerant, ūnīus
adulēscēntis contumēliās aequō animō tulit, id tantum in līmine
dīcēns: “Hic adulēscēns efficiet ut nēmō posthāc tāle imperium
dēpōnat.” 50

27f. Lucius Cornelius Sulla

Sulla in vīllā voluptātibus dēditus reliquam vītam ēgit. Ibi 51
morbō correptus mortuus est, vir ingentis animī, cupidus
voluptātum, sed glōriae cupidior. Ante victōriam laudandus erat,
sed in eīs quae secūta sunt numquam satis reprehēnsus; urbem
enim et Italiam cīvīlis sanguinis flūminibus inundāvit. Nōn sōlum 55
in vīvōs saeviit, sed nē mortuīs quidem pepercit. Nam Gaiī Mariī,
cuius quaestor fuerat, ērutōs cinerēs in flūmen prōiēcit. Quā
crūdēlitāte factōrum ēgregiōrum glōriam corrūpit.

28a. Gnaeus Pompeius Magnus

Gnaeus Pompeius bellō cīvīlī annōs vīgintī trēs nātus partēs 1
Sullae secūtus est brevīque tempore sē ducem perītum praebuit.
Imprīmīs mīlitibus cārus erat, quod nūllum labōrem vītabat atque
cum omnibus saltū, cursū, lūctandō certābat. Coāctūs reliquīs eius
exercitūs cui pater praefuerat ad Sullam ex Asiā advenientem 5
contendit, et in itinere trēs hostium exercitūs aut superāvit aut sibi
adiūnxit. Sulla imperātōrem tum salūtāvit semperque maximō
honōre habuit.

Multīs post annīs imperium extraōrdinārium Pompeiō dēlātum
est, ut opprimeret praedōnēs, quī omnia maria īfesta reddēbant et 10

28b. Gnaeus Pompeius Magnus

quāsdam etiam Italiae urbēs dīripuerant. Hoc bellum tantā 11
celeritāte cōnfēcit ut intrā quadrāgintā diēs omnēs praedōnēs aut
interficerentur aut sē dēderent.

Statim in Asiam magnō exercitū missus est contrā Mithridātem,
Ponticum rēgem, quōcum Rōmānī aliquot annōs iam contendēbant. 15
Rēx diū castrīs sē continuit neque pugnandī facultātem dedit. Cum
autem frūmentum dēficere coepisset, fugere cōnātus est. At
Pompeius secūtus hostem tertiā nocte in saltū quōdam intercēpit
lūnāque adiuvante fūdit. Nam cum Rōmānī lūnam ā tergō
habērent, hostēs longīs umbrīs corporum Rōmānōrum dēceptī in 20
umbrās tēla coniēcērunt. Victus Mithridātēs in Pontum profūgit.

28c. Gnaeus Pompeius Magnus

Posteā dēsperātīs fortūnīs venēnō vītam fīnīre frūstrā cōnātus est; 22
adversus enim venēna multīs anteā medicāmentīs corpus
firmāverat. Impetrāvit inde ā mīlite Gallō ut sē gladiō interficeret.

Cum Tigrānēs, rēx Armeniae, celeriter sē dēdisset atque ad 25
genua victōris prōcubuisset, Pompeius eum benignīs verbīs
allocūtus est et diadēma, quod abiēcerat, capitī repōnere iussit.
Inde Rōmānōrum pīmus Iūdaeōs vīcit Hierosolymaque, caput
gentis, cēpit sāctissimamque partem templī iūre victōris ingressus
est.

30

28d. Gnaeus Pompeius Magnus

Regressus in Italiam triumphum ex Asiā ēgit, cum anteā ex Africā 31
et ex Hispāniā triumphāvisset. Triumphus illūstrior fuit grātiorque
populō, quod Pompeius nōn armātus, sīcut Sulla, ad Rōmam
subigendam, sed dīmissō exercitū redīsset.

Posteā, ortā inter Pompeium et Caesarem gravī dissēnsiōne, 35
quod hic superiōrem, ille parem ferre nōn poterat, bellum cīvile
exārsit. Caesar īfestō exercitū in Italiam vēnit. Pompeius, relictā
urbe ac deinde Italiā ipsā, Thessaliam petīvit et cum eō cōsulēs
senātūsque magna pars; quem īsecūtus Caesar apud Pharsālum
aciē fūdit. Victus Pompeius ad Ptolemaeum, Aegyptī rēgem, cui 40

28e. Gnaeus Pompeius Magnus

tūtor ā senātū datus erat, profūgit; ille Pompeium interficī iussit. 41

Ita Pompeius sub oculīs uxōris et līberōrum interfectus est, caput
praecīsum, truncus in Nīlum coniectus. Deinde caput ad Caesarem
dēlātum est, quī eō visō lacrimās nōn continuit.

Is fuit Pompeiī vītae exitus post trēs cōsulātūs et totidem 45
triumphōs.

29a. Gaius Julius Caesar

C. Iūlius Caesar, nōbilissimā Iūliōrum familiā nātus, agēns 1
annum sextum et decimum, patrem āmīsit. Ā puerō vidētur
populārem factiōnem in rē pūblicā secūtus esse, eō magis quod
Marius Iūliam, Caesaris amitam, in mātrīmōnium dūxisset. Ipse
Cornēliam dūxit uxōrem, filiam Cinnae, quī Sullae inimīcissimus 5
erat. Cum Sulla victor Caesarem, sīcut multōs aliōs, iussisset
uxōrem repudiāre, ille recūsāvit. Bonīs deinde spoliātus, cum
etiam ad necem quaererētur, mūtātā veste, nocte urbe ēlapsus est.
Quamquam tum quārtānae morbō labōrābat, prope per singulās
noctēs latebrās commūtāre cōgēbātur, et dēnique ā Sullae lībertō 10

29b. Gaius Julius Caesar

comprehēnsus est. Eī vix, datā pecūniā, persuāsit ut sē dīmitteret. 11

Postrēmō per propinquōs et affīnēs suōs veniam impetrāvit. Satis tamen cōnstat Sullam monuisse eōs quī adulēscētī veniam petēbant eum aliquandō nōbilium partibus exitiō futūrum esse; nam Caesarī multōs Mariōs inesse.

15

Stīpendia prīma in Asiā fēcit, ubi in expugnātiōne Mytilēnārum corōnā cīvīcā dōnātus est. Mortuō Sullā, Rhodum sēcēdere statuit, ut per ḍōtium Apollōniō Molōnī, tum clārissimō dīcendī magistrō, operam daret. Hūc dum trānsit, ā praedōnibus captus est mānsitque apud eōs prope quadrāgintā diēs. Per omne autem illud spatiū ita 20

29c. Gaius Julius Caesar

sē gessit ut praedōnibus pariter terrōrī venerātiōnīque esset. 21
Redēmptus inde ab amīcīs classem contrāxit captōsque praedōnēs
cruce affēcit, quod supplicium saepe inter iocum minātus erat.

Quaestōrī ulterior Hispānia obvēnit. Aedīlis praeter comitium ac
forum etiam Capitōlium ḍornāvit porticibus. Vēnātiōnēs autem 25
lūdōsque apparātissimōs et cum collēgā M. Bibulō et sēparātim
ēdidit. Hīs rēbus patrimōnium effūdit tantumque aes aliēnum
cōnflāvit ut ipse dīceret sibi opus esse mīliēns sēstertium, ut
habēret nihil.

29d. Gaius Julius Caesar

Posteā societātem cum Gnaeō Pompeiō et Marcō Crassō iūnxit, nē 30
quid agerētur in rē pūblicā, quod displicēret ullī ex tribus. Cōnsul
deinde creātus cum M. Bibulō prīmus omnium cōnsulum īstituit
ut diurna ācta et senātūs et populī perscrīberentur atque ēderentur.
Aliquot lēgēs prō Pompeiō et Crassō sociīs pertulit, praecipuēque
effēcit ut ipse prōvinciam Galliam obtinēret. Bibulus, cum frūstrā 35
lēgibus obstitisset, per reliquum annī tempus domī abditus, Cūriā
abstinuit. Nōnnullī igitur, cum tabulās signārent, per iocum
addidērunt nōn Caesare et Bibulō, sed Iūliō et Caesare cōsulibus.

29e. Gaius Julius Caesar

Caesar, cōsulātū perāctō, novem annīs Galliam in potestātem
populī Rōmānī redēgit. Germānōs quoque aggressus est atque 40
prīmus imperātorum Rōmānōrum in Britanniam trānsiit. Ipse
commentāriōs rērum gestārum cōnfēcit, quibus aliōs ūtī in
scrībendā historiā voluit. Sed, ut ait Cicero, “Sānōs quidem
hominēs ā scrībendō dēterrunt; nihil est enim in historiā pūrā et
illūstri brevitāte commentāriōrum dulciss.” 45

Cum intereā Crassus apud Parthōs interfectus esset, et mortua
Iulia, Caesaris filia, quae nūpta Pompeiō generī sacerīque
concordiam tenēbat, statim aemulātiō ērūpit. Iam prīdem Pompeiō

29f. Gaius Julius Caesar

suspectae Caesaris opēs erant, et Caesarī Pompeiāna dignitās
gravis. Dēnique Caesar, ut sē tuērētur, postulāvit ut ex lēge ante 50
lātā sibi absentī alterum cōnsulātum petere licēret. Hoc inimīcī,
Pompeiō probante, negāvērunt atque iussērunt Caesarem ante
certam diem exercitum prōvinciamque trādere.

Iniūriā incēnsus, ad Rubicōnem flūmen, quī prōvinciae fīnis
erat, cum exercitū prōcessit. Ibi paulum morātus, ut fāma fert, 55
“Etiam nunc,” inquit, “regredī possumus; quod sī hoc flūmen
trānsierimus, omnia armīs agenda erunt.” Postrēmō exclāmāvit:
“Iacta est ālea.” Tum, exercitū flūmen trāductō bellōque cīvīlī

29g. Gaius Julius Caesar

inceptō, Brundisium profectus est, quō Pompeius cum magnā parte
senatūs profūgerat. Pompeium trānsīre in Ēpīrum prohibēre frūstrā 60
cōnātus, iter in Hispāniām fēcit, ubi validissimās Pompeiī cōpiās
vīcit.

Deinde in Ēpīrum profectus, Pompeium Pharsālicō proeliō
superāvit et fugientem ad Aegyptum persecūtus est. Ptolemaeum
rēgem, quī Pompeium interfici iusserat īnsidiāsque Caesarī 65
tendēbat, vīcit atque rēgnum Cleopātrae frātrīque minōrī permīsit.
Pharnacem, Mithridātis filium, quī occāsiōne temporum ad
rebellandum ūtēbātur, tam cito fūdit ut celeritātem victōriae posteā

29h. Gaius Julius Caesar

tribus verbīs significāret, “Vēnī, vīdī, vīcī.” Deinde Scīpiōnem et Iubam, Numidiae rēgem, quī reliquiās Pompeiānārum partium in 70 Āfricā coēgerat, dēvīcit. Postrēmō Pompeiī fīliōs in Hispāniā superāvit; quod proelium tam ācre tamque dubium fuit ut Caesar equō dēscenderet cōsistēnsque ante suōs cēdentēs fortūnam increpāret, quod sē in eum exitum servāset, dēnūntiāretque mīlitibus vēstīgiō sē nōn recessūrum. Verēcundiā magis quam 75 virtūte aciēs restitūta est. Rōmam inde rediit, ubi quater triumphāvit.

29i. Gaius Julius Caesar

Bellīs cīvīlibus cōfēctīs, conversus iam ad administrandam rem pūblicam, fastōs corrēxit annumque ad cursum sōlis accommodāvit. Senātum supplēvit, comitiīsque cum populo dīvīsīs, 80 sibi sūmpsīt iūs nōminandae dīmidiae partis candidātōrum. Eōs quī lēge Pompeī dē ambitū damnātī erant restituit atque admīsit ad honōrēs etiam prōscrīptōrum līberōs. Omnēs medicīnam Rōmae professōs et līberālīum artīum doctōrēs cīvitāte dōnāvit. Iūs labōriōsissimē ac sevērissimē dīxit. Dē repetundīs damnātōs etiam 85 ē senātū mōvit. Peregrīnārum mercium portōria īstituit. Lēgem praecipuē sūmptuāriam exercuit, dispositīs circā macellū custōdibus quī obsōnia vetita retinērent.

29j. Gaius Julius Caesar

Dē ornandā īstruendāque urbe multa cōgitābat, imprīmīs
ingēns Mārtis templum extruere theātrumque summae 90
magnitūdinis sub Tarpeiō monte. Habēbat in animō etiam haec:
iūs cīvile ad certum modum redigere atque ex ingentī cōpiā lēgum
optima quaeque in paucissimōs librōs cōferre; bibliothēcās
Graecās Latīnāsque quās maximās posset īstituere; siccāre
Pomptīnās palūdēs; ēmittere Fūcīnum lacum; viam mūnīre ā marī 95
Superō per Āpennīnī dorsum ad Tiberim; perfodere Isthmum
Corinthium; Dācōs, quī sē in Pontum et Thrāciam effūderant,
coercēre; mox Parthīs īferre bellum per Armeniam.

29k. Gaius Julius Caesar

Eum tālia agentem et meditantem mors praevenit. Dictātor enim in perpetuum creātus, agere īsolentius coepit; senātum ad 100 sē venientem sedēns excēpit et quendam ut assureret monentem īrātō vultū respexit. Cum Antōnius, comes Caesaris in omnibus bellīs et tum cōsulātūs collēga, capitī eius in sellā aureā sedentis prō rōstrīs diadēma, īsigne rēgium, imposuisset, id ita ab eō est repulsum ut nōn offēnsus vidēretur. Quārē amplius sexāgintā vīrī, 105 Cassiō et Brūtō ducibus, in eum coniūrāvērunt atque cōstituērunt eum īdibus Mārtiīs in senātū interficere.

29I. Gaius Julius Caesar

Quamquam prōdigia eum dēterrēbant et harūspex Spūrinna monēbat ut cavēret perīculum quod nōn ultrā Mārtiās Īdūs prōferrētur, statuit tamen eō diē senātum habēre. Dum Cūriam 110 intrat, Spūrinnam irrīsit, quod sine ūllā suā noxā Īdūs Mārtiae adessent.

“Vēnērunt quidem,” inquit Spūrinna, “sed nōn praeteriērunt.” Caesarem assidentem coniūrātī speciē officiī circumstetērunt; ūnus deinde quasi aliquid rogātūrus propius accessit et, cum Caesar 115 renueret, ab ūtrōque humerō togam apprehendit. Dum Caesar clāmat, “Ista quidem vīs est!” Casca eum adversum vulnerat

29m. Gaius Julius Caesar

paulum infrā iugulum. Caesar Cascae bracchium arreptum
graphiō trāiēcit cōnātusque prōsilīre aliō vulnere tardātus est. 120
Deinde ut animadvertisit undique sē strictīs pūgiōnibus petī, togā
caput obvolvit et tribus et vīgintī plagīs cōnfossus est. Cum
Marcum Brūtum, quem filiī locō habēbat, in sē irruentem vīdisset,
dīxisse fertur: “Tu quoque, mī filī!”

Percussōrum autem nēmō ferē trienniō amplius supervīxit. 125
Damnātī omnēs variīs cāsibus periērunt, pars naufrāgiō, pars
proeliō; nōnnullī sēmet interfēcērunt eōdem illō pūgiōne, quō
Caesarem cōfōderant.

29n. Gaius Julius Caesar

Quō rārior in rēgibus et prīncipibus virīs moderātiō, hōc laudanda magis est. Caesar victōriā cīvīlī clēmentissimē ūsus est; 130 cum enim scrīnia dēprehendisset epistulārum ad Pompeium missārum ab eīs quī vidēbantur aut in dīversīs aut in neutrīs fuisse partibus, legere noluit, sed combussit, nē forte in multōs gravius cōsulendī locum darent. Cicerō hanc laudem eximiam Caesarī tribuit, quod nihil oblīvīscī solēret nisi iniūriās.

135

30a. Marcus Tullius Cicero

Marcus Tullius Cicerō, equestrī genere, Arpīnī, quod est 1
Volscōrum oppidum, nātus est. Nōndum adultus, ā patre Rōmam
missus est, ut celeberrimōrum magistrōrum scholīs interesset atque
eās artēs disceret, quibus aetās puerīlis ad hūmānitātem solet
īformārī; quod magnō successū magnāque admīrātiōne et 5
praeceptōrum et cēterōrum discipulōrum fēcit; cum enim fāma dē
Cicerōnis ingeniō et doctrinā ad aliōs perlāta esset, multī repertī
esse dīcuntur quī eius videndī et audiendī grātiā scholās adīrent.

Cum nūllā rē magis ad summōs in rē pūblicā honōrēs viam
mūnīrī posse intellegereret quam arte dīcendī et ēloquentiā, tōtō 10

30b. Marcus Tullius Cicero

animō in eius studium incubuit; in quō quidem ita versātus est ut 11
nōn sōlum eōs quī in forō et iūdiciīs causās dīcerent studiōsē
sectārētur, sed prīvātim quoque dīligentissimē sē exercēret.

Prīmum ēloquentiam et libertātem adversus Sullānōs ostendit.
Erat enim Rōscius quīdam, dē parricīdiō accūsātus, quem ob 15
potentiam Chrysogonī, Sullae libertī, quī in eius adversāriīs erat,
nēmō aliis dēfendere audēbat; Cicerō tamen tantā ēloquentiae vī
eum dēfendit, ut iam tum in arte dīcendī nēmō eī pār esse vidērētur.
Posteā Athēnās studiōrum grātiā petiit, ubi Antiochum
philosophum studiōsē audīvit. Inde ēloquentiae causā Rhodum sē 20

30c. Marcus Tullius Cicero

contulit, ubi Molōnem Graecum rhētorem tum disertissimum, 21
magistrum habuit. Quī cum Cicerōnem dīcentem audīvisset,
flēvisse dīcitur, quod per hunc Graecia ēloquentiae laude
prīvārētur.

Rōmam reversus, quaestor Siciliam habuit. Nūllīus vērō 25
quaestūra aut grātior aut clārior fuit; cum enim magna tum esset
annōnae difficultās, initiō molestus fuit Siculīs, quōs cōgeret
frūmenta in urbem mittere; posteā vērō, dīlignantiam et iūstitiam et
cōmitātem eius expertī, honōrēs quaestōrī suō maiōrēs quam ullī
umquam praetōrī dētulērunt. Ē Siciliā reversus Rōmam, in causīs 30
dīcendīs ita flōruit, ut inter omnēs causārum patrōnōs et esset et
habērētur prīnceps.

30d. Marcus Tullius Cicero

Cōnsul deinde factus, L. Sergiī Catilīnae coniūrātiōnem ēgregiā virtūte, cōstantiā, cūrā compressit. Catilīna reī familiāris, quam profūderat, inopiā et dominandī cupiditāte incēnsus erat 35 indignātusque quod in petītiōne cōnsulātūs repulsam passus esset; coniūrātiōne igitur factā, senātum interimere, cōnsulēs trucīdāre, urbem incendere, dīripere aerārium cōnstituerat. Cicerō autem in senātū, praesente Catilīnā, vehementem ḍrātiōnem habuit et cōnsilia eius patefēcit; tum ille, incendium suum ruīnā sē 40 restīnctūrum esse minitāns, Rōmā profūgit et ad exercitum, quem parāverat, profectus est, signa illātūrus urbī. Sed sociī eius, quī in urbe remānserant, comprehēnsī in carcere necātī sunt.

30e. Marcus Tullius Cicero

Neque eō magis ab inceptō Catilīna dēstitit, sed īfestī signīs
Rōmam petēns, exercitū Antōniī, Cicerōnis collēgae, opprimitur. 45
Quam ātrōciter dīmicātum sit exitus docuit; nēmō hostium bellō
superfuit; nam quem locum quisque in pugnandō cēperat, eum
mortuus tegēbat. Catilīna longē ā suīs inter hostium cadāvera
repertus est—pulcherrima mors, sī prō patriā sīc concidisset!
Senātus populusque Rōmānus Cicerōnem 'patrem patriae' 50
appellāvit.

Paucīs post annīs Cicerōnī diem dīxit Clōdius, tribūnus plēbis,
quod cīvēs Rōmānōs indictā causā necāvisset. Senātus maestus,

30f. Marcus Tullius Cicero

tamquam in pūblicō lūctū, veste mūtātā, prō eō dēprecābātur.
Cicerō, cum posset armīs salūtem suam dēfendere, māluit ex urbe 55
cēdere quam suā causā caedem fierī. Proficīscentem omnēs bonī
flentēs prōsecūtī sunt. Deinde Clōdius ēdictum prōposuit, ut Marcō
Tulliō ignī et aquā interdīcerētur; illīus domum et vīllās incendit.
Sed vīs illa nōn diūturna fuit; mox enim tōtus ferē populus
Rōmānus ingentī dēsideriō Cicerōnis redditum flāgitāre coepit, et 60
māximō omnium ūrdinum studiō Cicerō in patriam revocātus est.
Nihil per tōtam vītam Cicerōnī itinere, quō in patriam rediit, accidit
iūcundius. Obviam eī redeuntī ūniversī iērunt; domus eius pūblicā
pecūniā restitūta est.

30g. Marcus Tullius Cicero

Gravissimae inimicitiae illā tempestāte inter Caesarem et 65 Pompeium ortae sunt, ut rēs nisi bellō compōnī nōn posse vidērētur. Cicerō quidem summō studiō ēnitēbātur ut eōs inter sē reconciliāret et ā bellī cīvīlis calamitātibus dēterrēret; sed cum neutrum ad pācem ineundam movēre posset, Pompeium secūtus est. Tamen ā Caesare victōre veniam accēpit. Cum Caesar occīsus 70 esset, Octāviānō, Caesaris hērēdī, fāvit Antōniōque adversātus est, atque effēcit ut ille ā sēnātū hostis iūdicārētur.

Sed Antōnius, initā cum Octāviānō societāte, Cicerōnem, iam diū sibi inimīcum, prōscrīpsit. Quā rē audītā, Cicerō trānsversī

30h. Marcus Tullius Cicero

itineribus in vīllam, quae ā marī nōn longē aberat, fūgit indeque 75
nāvem cōncendit, in Macedoniam trānsitūrus. Cum, aliquotiēns in
altum prōvectus, ventīs adversīs relātus esset, neque iactātiōnem
maris patī posset, taedium tandem et fugae et vītae eum cēpit;
aliquandō regressus ad vīllam, “Moriar,” inquit, “in patriā saepe
servātā.” Adventantibus percussōribus, servī parātī ad dīmicandum 80
erant; sed ipse eōs dēpōnere lectīcam et quiētōs patī quod sors
inīqua cōgeret iussit. Prōminentī ex lectīcā et immōtam cervīcem
praebentī caput praecīsum est. Manūs quoque praecīsae sunt;
caput relātum est ad Antōnium iussūque eius inter duās manūs in
rōstrīs positum. 85

30i. Marcus Tullius Cicero

Quamdiū rēs pūblica lībera stābat, Cicerō in eam cūrās 86
cōgitatiōnēsque ferē omnēs suās cōferēbat et plūs operaē pōnēbat
in agendō quam in scrībendō. Cum autem omnia potestātē ūnīus
C. Iūliī Caesaris tenērentur, nōn sē angōribus dēdidit nec indignīs
homine doctō voluptātibus. Vītāns cōnspectum forī urbiske, rūra 90
peragrābat abdēbatque sē, quantum licēbat, et sōlus erat. Cum
animus autem nihil agere nōn poterat, sē ad philosophiam referre
cōstituit atque ita honestissimē molestiās dēpōnere. Huic studiō
Cicerō adulēscēns multum temporis tribuerat, et iam senex omnem
cūram ad scrībendum convertit. Eō modō plūra brevī tempore, 95
ēversā rē pūblicā, scrīpsit, quam multīs annīs, eā stante, scrīpserat.
